

*Et biatum potantis eludet. Suffecerit Pbilonis illud, de Mundi opificio: Fastigium Philosophiæ affectus Moses, & Oraculo edoctus de præcipuis Naturæ arcanis.*

§. VIII. Multa de Ægyptiorum opibus, artibus, ac sapientia ex *Herodoto, Diod. Sicul. Jamblicho, Cicerone, Plinio, Strabone, Tatiano*, alia, ex Obeliscis, Mausoléis, Pyramidibus, monumentis, incredibili labore ac impensâ factis, ac Ægyptiis thesauris, arte etiam Chymicâ collectis, & commemoratis, (Ebr. II, 26.) sæpius laudatâ Dissertatione prodidit *Borricbius*, nec non in *Docimastica Metallic.* Nos nihil de antiquitate amplius ac origine, sed nec de *Hermete Trismegisto* addituri plura, nunc progredimur ad *principia interiora Metallorum* invicem commutandorum. Etsi quidem refractariis & rapacibus juncta cum mineralibus Metalla sint ut plurimum; i. e. Pyrite, Marcasitâ, Cadmiâ, Bismutho, Sulphure, Arsenico; & rariùs inveniatur copia Argenti puri in fodinis, puteis, cuniculis, venisq; ; certum tamen est, non, nisi puriùs, & perfectiùs elaboratis propioribus principiis, Metalla invicem differre. Fundamenti loco id tenendum, artificio mutari posse inter se principia Metallorum ipsa, sui generis, quidni & principiata? Salia nimirum calida, frigida, simplicia, & duplicata, (qualia apparent,) inter se converti; sicut & Alkalia in acida mutari arte possunt. *Halogenesis* & salium originem, solutiones menstruorum, combinationes, præcipitationes & vitrificationes deniq; qui propiùs perspectas habet, dubitare de his potest minimè. De terra, de Mercurio quid dicam? qualis est in ferro, plumbo, stanno, cupro, auro, & argento; puritatis tantùm & perfectionis gradu, tam mirabilem relinquit differentiam. Degenerare quoq; solent salia, admoto nullo artificio, in aëre, in aquis, terris, plantis, atq; animalibus. Sic ex Vitriolo Sulphur, ex Sulphure Vitriolum, ex